

aliisque ministris abunde sufficerent, et demum de tanto eventu chartam manu propria conscripsit, et quoad potuit quotannis Rurones accessi benefactori gratias acturus.

S. Evermari corpus jam diu in obscuro loco delitescens, sed divina revelatione cognitum elevavit e terra, et in ædem sancto Martino sacram intulit. Patientiæ documenta suis præbuit, cum eorum injuriis lacesitus de vindicta nequidem cogitavit. Tandem virtutibus clarus caducam hanc vitam cum æterna commutavit anno Incarnat. Dominicæ 971, vi Kal. No-

vembr., anno pontificatus sui 12, Othonis I, tam regni quam imperii 31, ait Ægidius, qui et ejus ad Ratherium epistolam, refert, in qua se ejus filium dicit, eique ob sibi directam cum balsamo ex urbe Verona legationem gratias agit, demum in ejus laudes, de quibus nos supra, excurrit. Ejus quoque obitum an. 971 locat Chronicon Magdeburgense et Leodiense. Sepultus est in basilica Sancti Martini in monte. Aduit concilio Ravennatensi, ubi et sua subscriptione institutionem archiepiscopatus Magdeburgensis confirmavit circa annum 967.

ERACLII

EPISTOLA AD RATHERIUM EPISCOPUM.

(CHAPPEVILLE, *Gesta Pontif. Leodiens.*, p. 191-2)

Domino et Patri ter beato præsuli RATHERIO, spectatæ opinionis viro, et probatissimo, EVERAGLUS servorum Christi servus, suus indignus licet vocari filius quidquid in Christo Jesu felicius.

Hyperbaton cum ambagibus omittens, rem ipsam, quanta meæ pars vestra sit animæ, nudo et operto sermone me juvat describere; scholastice si non valeo, utinam vel rustice, non fecte tamen, quia pura traho voce quod latet arcana non inenarrabile fibra, quantum vos sinuoso in pectore fixi, notare gestio. Illud comicum nostis: *Davus sum, non Ædipus*, ut fucatis verbis fallam audientes. Sed hæc hactenus.

Audita vero et attentius percepta legatione vestra mellita, nondum viso vel accepto, quod pio amore misistis balsamo, litteris vestris adhuc non lectis; non minimum erga me, quem cognovi, tam magni et clarissimi viri affectus integer, mihi tantillo, accumulavit gaudium: liquor pretiosus, cujus fere eram inops, vultum non mediocriter exhilaravit datus. Audito tandem epitheto non meo nomini congruo, quod vestra charitas mihi, nulla commendatione actuum meorum apposuit, ultra quam creui potest, animum lætificavit.

Inde centies flexis genibus versus Veronam, vestra quasi lambens vestigia, millies mille vobis rependo gratias.

Cujus vero virtutis, si quod in me apparuerit, qui nulla omnino præluceo, simulacrum, nusquam, si experimento discere cordi est, a vobis aberit elongatum.

Pristinam sæpe soleo ante oculos dulcedinem ponere, idque crebris libenter sermonibus repetere, et si mane non, vel post prandia inter bibendum

quomodo me fovistis, ut commanducandum cibum, sicut nutrices infantulis edentulis, in os meum trajecistis

Quid ante, quid post pro tanto beneficio commemorem? rudis sum et ignarus. Quis enim est vobis aut sapientia, probitate, aut optimarum artium studio, aut innocentia, aut ullo laudis genere præstantior? Tulliana vox sonat: Nullus tantum est flumen ingenii, nulla dicendi, nulla scribendi tanta vis, nulla copia, quæ, non dicam exornare, sed tuarum virtutum laudes possit enarrare. Patientia si memoratur, si fas est dicere, fide salva, ne Deum offendam, tu es ipsa. Non salivam glutto sorbuisti mercurialem, inque luto fixum potuisti transcendere numerum. Satyricos omittamus comicos, ad simplices redeamus et sanctos.

Non modo non rapuisti, sed nec quidem appetisti aliena, largitus es propria, aliorum condolens miseriis, non felicitatibus invidens alienis, *omnibus* omnia factus, ut omnes lucrifaceres. Nativa vobis supplex tendit manus patria, et ut redeatis invitat. Omnes, quotquot sunt utriusque ordinis, clericalis, seu militaris, mente, voluntate, studio, gestu, voce, ut veniatis, clamant: vos videre desiderant; servitio vobis impendendo, nec numerum, neque modum præfigimus ullum. Omnia nostra erunt in manu vestra, secundum quod animo vestro insederit, o dilecte Ratheri. Cuncta prævidete, disponite, constituite, et ut libuerit, in omnibus agite. Sub vestro pollice docto et artifice, manum ferulæ non erubescam subducere. Vos valet; vos plaudite, et gratia Domini nostri vos ab incursu malo tueatur continue.